



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XI MARTII.



Lisbona a. d. 28. Januar.

Fama est, regem nostrum novam conditurum esse legem, ut, quicquid in posterum auri in alias asportabitur regiones, eius centesimam prius partem ærario suo tribui oporteat. Die 8. Dec. superioris anni, omnes, qui academix historicæ regix adscripti sunt, litteris ea propter editis, conuocati fuerunt, ut diem anniuersarium, quo regis auspiciis constituta olim fuit hæc academia, solemniter concelebrent. Postero die rex ipse cœtum academicorum sua cohonestavit præsentia. Eodem tempore communi omnium suffragio delecti fuerunt, qui proximo anno præsidum munere in hac societate fungentur. Al. legretto autem, Fronteyæ & Abrantesio, marchionibus, præterque eos P.

Emanueli Caietano Susensi, atque Ericeyræ comiti, quibus anno præterlapso eiusmodi honor obtigerat, communi omnium consensu denuo is euenit. Quibus rite peractis P. Emanuel Catalogum adtulit historicum, quo omnes scriptores Lusitanos, ordinis, cui a diua Virgine Carmeli montis nomen est inditum, complexus fuerat.

Parisius a. d. 9. Febr. Die 30. Jan. P. Santius S. I. idemque in collegio Ludouiciano Eloquentix Doctor, orationem recitauit, *de insigni amore, quo Galli suos prosequuntur reges, cuiusque anno inprimis præterito luculenta ediderunt specimina.* Ad audiendam hanc orationem inter alios Bissius, Boifius & Poligniacus, Cardinales, multis stipati præsulis, venerant.

Alia a. d. 16. Febr. Hesternam diem, quæ regis Christianissimi fuit natalis, ambitione ac pompa quanta potuimus maxi-

maxima concelebrauimus. Quam ei felicem, faustam ac fortunatam, Duces ac Principes vniuersæ regio orti sanguine, omnes item aulæ proceres, vt & exterrorum principum oratores solemniter sunt adprecati. Proximis hisce diebus variæ denuo cædes cum furtis sunt perpetratæ. Complures enim lautioris olim conditionis homines, temporum, quæ nunc sunt, iniuria ad incitas redacti, furtis ac rapinis suam subleuare inopiam quærunt, quorum tamen aliquot iam capti in publicos detrusi sunt carceres.

Londini a. d. 12. Febr. Evulgatus hic proximis diebus fuit libellus, cui sequens appositus fuit titulus: *Apologie, ou defense de la Maison d' Hannover.* siue, Defensio domus Hannouerianæ, cum autem is sit calumniarum atque conuitorum in regem plenissimus, magno studio in eum inquiritur, a quo typis est expressus. Ex tabulis regi nuper exhibitis, in quibus numerus nauium bellicarum initus est, apparet earundem centum & octoginta in promptu esse. Caussarum quidam actor, nomine William, cum lite sua cecidisset, magnamque pecuniæ summam numerare debuisset, sclopo minori pectore admoto, glande plumbea semet interfecit. Cum nuper *Brenfortiæ* amplissimus fuisset institutus conuentus, tanta animorum coorta fuit contentio, de eligendis, ad proxima regni comitia legatis, vt non solum componi lites non potuerint, sed etiam, postquam verbis diu satis fuisset disputatum, baculis primum, deinde & gladiis alii alios crudelissime violarent.

Dublina a. d. 29. Jan. Cum hesternæ diæ curiæ inferioris patres, pro regi debitas agerent gratias, cuius laudabili factum est industria, vt omnes, rebus ex

sententia gestis, domum redire nunc queant, ille non solum iis beneuole respondit, sed hodie etiam in conuentum eorum profectus, his fere verbis eos adloquutus est. VIRI NOBILISSIMI

Cum iam in eo versamur omnes, vt optatum finem tandem imponamus creberrimis, quæ communi omnium studio, inter nos agitata fuerunt, consiliis, valde me lætari profiteor, quod regi placuerit animi promptitudo atque diligentia, quam in omnibus declarastis, quæ solemniori hocce conuentu ad consultandum deliberandumque vobis fuere proposita. Quam singulari erga regem pietate, erga patriam fide hoc tempore fueritis, tot leges, quas regia auctoritate firmatas, promulgauimus, satis testari possunt. Id quod vel inde cuilibet oppido patebit, qui tabulas, quibus illæ continentur, adcurate in Angliam perlatas, & opinione celerius ad nos remissas recordabitur. VIRI NOBILISS. In mandatis id mihi a rege datum est, vt gratias vobis agerem, propterea, quod tam prompto, vt viros cordatos patriæque amantes decet, tamque vnanimi consilio, de tributo, regi in posterum pendendo, statuere voluistis. Consilium eiusmodi, pietatis & obsequii plenissimum, postulare omnino videtur, vt omnia quam rectissime erogentur iisque impendantur rebus, quibus prudenti admodum ratione destinata sunt. Inprimis stipendium, quod militibus decreuistis, documento erit omnibus, quanto regem amore complecti soleatis. Hac enim ratione, a quibusuis regem defenditis hostibus, & patriæ consulitis saluti. Quod mearum erit partium, omni ego diligentia studioque adnitar, vt tam

„ tam propensæ, vestræ in regem vo-
 „ luntati, respondeam, & ad ea me per-
 „ petuo conformem, quibus patriæ re-
 „ bus tam egregie consuluis. Id mihi
 „ certissime persuasum habeo, eodem
 „ vos animo, quo tulistis eiusmodi
 „ leges, exsequuturos quoque illas in
 „ prouinciis, e quibus ad hunc solem-
 „ nem conuentum fuistis euocati. Et
 „ ne meo muneri, aliqua ex parte de-
 „ esse videar, rerum omnium a vobis
 „ laudabiliter gestarum rationem regi
 „ adcurate exponam, singulorumque
 „ præclare facta enarrabo, nec vllam
 „ facile prætermittam occasione, qua
 „ genti huic, cui tantopere obstrictus
 „ sum, voluntatem meam studiumque
 „ testari poterio.

Hagæ Comitum a. d. 22. Febr. Præpo-
 tentes Belgii fœderati ordines, qui hoc
 tempore creberrimas cum oratore Bo-
 russiæ regis instituebant consultationes,
 nudius abhinc tertius diuersi discesse-
 runt, neque ante 12. Martii diem con-
 uentum vllum celebraturi sunt. Lega-
 tus Portugallicus *Comes Tarocca*, pro-
 pediem Cameracum est profecturus.
 Lugduno Batauorum nuntiatum est, fe-
 minam quandam, decimo post nuptias
 mense, vno partu tres eosque viuos
 enixam esse filios, quorum primus, cum
 vix lucem adspexisset, mortuus, duo
 tamen adhuc viui vegetique esse di-
 cuntur. Cameraco accepimus, Excel-
 lentissimum comitem *Windischgræ-
 tzi*um, eundemque Imperatoris Roma-
 norum legatum primarium, die 16. vr-
 hem eam fuisse ingressum, omnique
 honore adfectum.

Romæ a. d. 14. Febr. Superiori die
 Saturni, certis ad nos perlatum esse nun-
 tiis ferunt, Augustum Poloniæ regem,
 breui huc esse venturum. Quapropter
 iam plerique *Cardinales*, alique viri

principes, litteris ad aulam Pontificiam
 missis, edoceri cupiunt, quibus eos, in
 accipiendo tanto hospite, vti oporteat
 cerimoniis.

Genuæ a. d. 14. Febr. Litteris, quas
 ex Hispania, die 24. Ianuarii scriptas,
 accepimus, nuntiatum est, regem cum
 domesticis omnibus, Madritum iam
 rediisse, nihilque aliud agere, quam vt
 Monpensieria, principis Asturiæ noua
 nupta, pro dignitate accipi queat. Ad-
 ditur & id, fore vt & alteri regiæ stirpis
 principi, Carolo, ita volente Patre,
 sponsa breui deligatur, nouoque hoc
 fœdere connubiali, pax Cameraci con-
 cilianda, stabiliatur ac firmior reddatur.

Neapoli a. d. 10. Febr. Diebus hisce
 ex ducatu Mediolanensi plus minus
 500. equites hungari huc accesserunt,
 vt in Siciliam, vbi legio eorum est,
 transportentur. In his quidam est cen-
 tum septem annos natus, firmo satis
 adhuc corpore, qui & vxorem secum
 habet, quam sibi quarto abhinc anno
 adsciuit vitæ sociam, natam annos sex
 & quadraginta.

Venetis a. d. 21. Febr. Orator rei-
 publicæ, qui rebus nostris Constantino-
 poli inuigilat, nuper facultatem ade-
 undi Imperatoris Turcici nactus, id ac-
 cepit responsi, nihil minus Imperatori
 turcico in animo esse, quam vt pacem
 nobiscum initam violet.

Constantinopoli a. d. 24. Jan. Postea-
 quam egatus, quem Persarum rex ad
 Turcarum misit Imperatorem, magno
 stipatus hominum, quos secum addu-
 xerat agmine *Codram* peruenisset, atque
 in ea vrbe imperatoris iussu hospitaliter
 fuisset exceptus, euocatus inde ab im-
 peratore, hodie in vrhem hanc magna
 pompa intrauit. Eo tempore ex omni-
 bus, quæ in portu consistebant, nauibus
 tormenta fuere excussa, quod eti-

am factum audiimus, cum armamentarium præteriret. Causam aduentus eius fuisse aiunt, solemnem gratulationem, qua nomine regis sui prosequutus est, Imperatorem ob circumcisionem, qua superiore anno filius eius sacris rite initiatus fuit.

Ex partibus, quas Albis inferior alluit. a. d. 18. Febr. Petriburgo accepimus, non solum quotidie in eam urbem apparatus bellicum ex Finnia aduehi, sed & legiones, quæ in vicinia fuerunt collocatæ, Moscouiam versus proficisci, eo, ut nonnulli existimant, sine, ut vere proximo ad limites Persidis mitti queant. Præterea in eo iam esse Imperatorem Russorum, ut primo quoque tempore Astracani ipse proficiscatur, quorsum nuper Petriburgo, plus minus quadringentos remiges, cum quadraginta fabris naualibus præmisit.

Ex Holsatia a. d. 21. Febr. Litteris Holmia missis, nuntiatum nobis est, regem cum Dückero atque Reinschildio comitibus in Scaniam iter suscepturum fuisse, nisi Reinschildius exscreatione cruenta affictus, fuisset eoque morbo naturæ debitum reddidisset.

Celle a. d. 13. Febr. Superiori die Sabati Eleonora dux Brunsvico-Luneburgica vidua, anno ætatis octogesimo tertio inter pias preces naturæ debitum reddidit, atque nudius abhinc tertius eidem sepulcro, quo maritus eius requiescit, illata est.

Hafnia a. d. 17. Febr. Nudius quartus mandata regia in Cancellariam allata fuerunt, quibus rex indulgentissimus, propensum in patriam ciuesque suos testaturus animum, omnes ubique hoc anno, a tributis belli causa imperatis, atque censu etiam liberos immunesque fore declarat. Quanta exinde in vniuerso regno coorta sit lætitia dici vix

fatis potest. His diebus vir quidam, annos natus centum & quinque vita functus est. Fuit autem is toto pene vitæ tempore in remigum regionum numero,

Leopoli a. d. 4. Febr. Litteræ, quas ex Podolia accepimus, luem pestiferam multis in locis prope Cameniciam inter pecudes grassari cœpisse nuntiant. Indidem & hic ad nos perlatus est rumor, Cosaecos, qui aliquantisper quieti fuerant, nouis irruptionibus terras finitimas Polonorum infestas reddere, atque vicos & oppida depopulari. Ad quorum refrenandos impetus Braclawskius agmen militum polonicorum misisse dicitur.

Vienna a. d. 5. Martii. Hodie Imperator Augustissimus sanctiori interfuit consilio, qua occasione, comes Carolus Dietrichsteinus, nuper admodum ordini huic adscriptus, solemni iurandi formula fidem suam Imperatori pollicitus est.

Pofonii a. d. 11. Martii. Fama jam increbescit, publica regni comitia, mense Junio inchoatum iri. Quapropter non solum *Excelsam Commissionem*, cui religionis negotium demandatum est, sed & aliam illam Politico-Militarem-Oeconomicam finiri prius oportebit.

E Transilvania a. d. 24. Febr. Status & ordines trium, quæ in Transilvaniæ Principatu sunt, nationum, ad publica, iussu Principis indulgentissimi ad diem 19. Febr. sunt euocati comitia. In his primum, de residuis, quæ hieme hac conferri debebant, tributis, cum *Excellentissimo comite Virmondio*, eodemque summo cæsareanorum in Principatu præfecto, consultabitur, deinde priuatæ ac publicæ querelæ, nec non aliæ causæ iudiciales examinabuntur.